



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Bellum Sacrum Ecclesiae Militantis Contra Turcum
Communem Hostem Christianorum**

Vaux, Léonard de

Leodii, 1685

§. III.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64991](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64991)

rum corroboravit pietatem. Sed præter David & Ezechiam, & Jofiam, omnes peccatum commiserunt: nam reliquerunt legem Altissimi Reges Juda: & contempserunt timorem Dei, inquit, Ecclesiasticus *Cap. 49.* At inter Reges Israël, nullus bonus.

Verum quidem est post Regis Regum adventum plures Reges Sanctos, sapientes, potentes, numerari, in Ecclesiâ Catholicâ, quàm in Judaicâ: sed præterquam, quod longè major est numerus Principum Christianorum, quàm fuerit Israëlitarum: quot Sanctos Imperatores, & Reges potentes venerandos, & colendos à fidelibus proponit Romana Ecclesia? cujus est de Sanctis ferre judicium verum, paucos certè admodum, numerat Sanctos Filios, Christianis virtutibus, quàm sceptro gloriosiores, quæ plurimos ab initio passâ est persecutores.

§. III.

Quatuor memoro, eximiæ sanctitatis Reges, quibus addo duos Principes ab Ecclesiâ Catholicâ, Ro-

manâ, agnitos, declaratos, & omnibus non solum ad venerationem, & invocationem, sed in primis ad imitationem propositos; ut magni Principes, qui Christiano Nomine gloriantur, eorum facta Regia æmulentur, quorum virtutes prædicant, & mirantur.

Primus est Henricus secundus Romanorum Imperator, qui inaudito gratiæ prodigio, hæc tria summa, in suâ Personâ Regiâ conjunxit. Humilitatem Religiosam cum Imperatoriâ dignitate: virginitatem illibatam cum conjugio, & vitæ irreprehensibilis sanctitatem sublimem, & pietatem Eucharisticam, in Bellis & victoriis perpetuis, ut ostensum est in ejus elogio. Secundus est Sanctus Ludovicus, Regum Galliæ Christianissimus, justissimus, & piissimus, qui in omnium Christianarum, & heroicarum virtutum actibus, consummato vitæ suæ innocentissimæ cursu, beatam animam, Regi Regum JESU-CHRISTO carissimam, reddidit, exclamans voce magnâ, orationis igne in flammata: Introibo in Domum tuam, adora-

bo ad Templum Sanctum tuum: &
 confitebor Nomini tuo. Quibus di-
 ctis expiravit Regum sanctissimus,
 Æternæ Gloriæ coronâ dignissimus,
 dilectus Deo, & hominibus: cujus
 memoria, etiam hodie, in Benedi-
 ctione est, eritque usque in finem:
 Sola enim manet virtus, labuntur cæ-
 tera, & transeunt velut umbra.

Tertius est Sanctus Eduardus An-
 glia Rex, nepos Sancti Eduardi, Re-
 gis & Martyris, qui raro exemplo
 virginitatem matrimonio sociavit,
 auxilio orationis & pietatis, ad om-
 nia utilis: hic à Sancto Joanne Evan-
 gelistâ, quem mirificè coluerat, de
 mortis die præmonitus, paulò ante
 obitum, indictis toto Regno pro se
 precibus, piissimè, uti vixerat, obiit
 in Domino, & ad Christi Regis glo-
 riæ sinum, quem totâ devotione di-
 lexerat, sancta ejus anima evolavit.
 Quam felix eras, & quàm sancta, ô
 Anglia Insularum magni maris Re-
 gina! tunc temporis Catholica, Ro-
 manæ Ecclesiæ adhærens, fidem te-
 nens, quam à Sancto Gregorio ma-
 gno, Apostolo tuo acceperas. Verùm

proh dolor! per summa scelera Hen-
rici VIII. per iniquissimam Elizabe-
tæ usurpationem alieni Regni; & per
ambitionem, ac insatiabilem cupidi-
tatem Avunculi Regis Eduardi VI. à
Gremio Sedis Apostolicæ te miserè
avulsi; aut potius violenter avul-
sa fuisti. Numera nunc Sanctos tuos si
potes? nonne ab infelicibus illis tem-
poribus Ministri tui plurimos fece-
runt Sanctos Martyres? cum ipsi in
tanto numero Episcoporum suorum;
ne unum quidem invenire possint
verè Sanctum Confessorem: nec mi-
rum, ubi non est vera fides Catholica
Romana, non est vera Sanctitas, nul-
la salus illis qui à Sancta Sede, à vera
Petra, supra quam Ecclesia tota fuit
data est, avulsi sunt, excisi sunt. Re-
vertere ergo, revertere ad sinum San-
ctæ Matris tuæ Ecclesiæ, Catholicæ,
Apostolicæ, Romanæ; citò reverte-
re, ut intueamur te, in pristinis splen-
doribus Sanctorum, & adimpleant
Angli conversi, Angelos Sanctos, no-
vâ lætitiâ.

Quartus Rex, excellentis & notis-
simæ sanctitatis, est Stephanus pri-

mus Rex Hungariæ; à Sancto Hen-
 rico Imperatore, fulgore fidei Catho-
 licæ Romanæ, ad Christum addu-
 ctus, qui fidem veram confirmavit,
 morum integritate, vitæ sanctitate,
 pietate erga Eucharistiam, & Dei Ge-
 nitricem; liberalitate, in Templo-
 rum & Monasterium fundatione, &
 in Christi pauperes: ideoque ejus dex-
 tera munifica, resoluta corpore, in
 tumulto, incorrupta permansit; cujus
 Sancta anima, ab eadem admirabili
 Matre, Sanctorum omnium Regina,
 quam ardentissimè diligebat, invoca-
 bat, & venerabatur; ipso suæ Assum-
 ptionis die in Coelum est recepta. Rex
 ille Sanctus, inter cæteras prætiosas
 Cœli Margaritas, hanc filio suo San-
 cto Emerico, in hæreditatem reliquit.

„ Benè intelligas fili mi, ex inobedi-
 „ tiâ Divinæ Legi, omne malum ortum
 „ esse; ex obedientiâ omne bonum: fi-
 „ dem Christianam, Catholicam, Apo-
 „ stolicam, Romanam, omni diligen-
 „ tiâ custodias, conserves, ut omni-
 „ bus, tibi à Deo subjectis, exemplum
 „ præbeas. Ad Templum accede ut ad
 „ Domum orationis: oratio enim maxi-

ma est acquisitio Regalis dignitatis & peccatorum remissionem, per eam obtinebis. His quatuor Regibus addo duos Sanctos Principes Regum Filios, qui spreto regno terreno, soli Regi Regum Christo, vitam suam consecrarunt. Primus est Sanctus Hermenigildus, illustris JESU-CHRISTI Martyr; pro cujus Divinitatis defensione, contra nefariam Ariani Patris hæresim, in carcere occisus, pro terreno, cœleste regnum adeptus est: ubi cum Christo JESU Deo suo, cujus regni non erit finis, in Æternum regnabit.

Alter est Regis Poloniæ Filius, Sanctus Casimirus, qui Angelicam puritatem, perpetuam Virginitatem, assiduitatem orationis, pietatem Eucharisticam, ardentissimum amorem JESU-CHRISTI Crucifixi; omnibus Regiæ Domus Divitiis, deliciis, ac titulis præferens; consummatus in brevi, explevit tempora multa, plenus meritis, prænunciato mortis die; inter Sacerdotum, & Religiosorum choros, quos semper ut Dei ministros veneratus erat; tota auctoritate

protexerat, & suis opibus aluerat:
 Spiritum Deo reddidit.

Sunt & aliqui alii, tam Reges quàm
 Principes in orbe Christiano non minus
 sanctitate, quàm Regiâ claritate illu-
 sres, sed hi in medium afferuntur, ut
 magis noti, & meritis excellentiores.
 Verumtamen hoc certum est; Sanctos
 Reges & Principes, tum in veteri, tum
 in novo Testamento nimis paucos esse
 in comparatione multorum, qui Sancti
 non sunt, non quia, non possunt, sed
 quia nolunt. Nimirum opus est ma-
 gnâ animi contentione, & sui ipsius
 victoriâ, vim sibi perpetuò faciendo.
 Oportet Reges & Principes Christia-
 nos esse sobrios in epulis, castos in ille-
 cebris omnium sensuum: humiles cor-
 de in folio humanæ gloriæ: Pios &
 Deo unitos in strepitu armorum, & in
 tumultu negotiorum sæcularium im-
 plicatos: pauperes spiritu in affluen-
 tiâ divitiarum, cor illis non appo-
 nentes. Quàm hæc rara est virtus, in
 medio nationis pravæ! scilicet, mundi
 prospera rectum auferunt; & prodi-
 gium est gratiæ, inter pericula pecca-
 torum, undique Reges & Principes

circumvallantium, diu stare in iustitiâ, & æquitate; aut si progrediendum sit inter tot & tanta præcipitia, per mediam & arctam virtutis viam, non declinando neque ad dexteram, neque ad sinistram, sic currere, ut comprehendas terminum Christianæ perfectionis.

§. I V.

QUæ cum ita esse, extra dubium sit; tanto majori veneratione, & dilectione digni sunt, qui in folio Regio, à Deo collocati, ut omnibus præluceant exemplo Regalium virtutum; Sanctitatem, & sapientiam, suæ supremæ potentiae sic conjungunt, ut cum summam habeant, in temporalibus potestatem; illâ non utantur, nisi secundum Leges veræ sapientiae, & sanctitatis: videlicet ad protectionem Ecclesiae militantis contra inimicos Religionis Christianæ, Catholicæ Romanæ; ad propagationem gloriæ Nominis JESU in gentibus: ad firmamentum justitiæ in suis omnibus ditionibus; ad fovendam